



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**SELECTA=||RVM DECLAMATIONVM || Philippi Melanthonis,
quas con=||scripsit, & partim ipse in schola
Vui=||tebergensi recitauit, partim alijs recitandas
exhibuit.|| TOMVS ... ||**

Melanchthon, Philipp

1559

VD16 M 3567

Encomium Sueuorum, qui à maioribus incredibili uirtute fideq[ue]
præditis, orti sunt.

urn:nbn:de:hbz:466:1-34734

atq; grauisima monita et praecepta. Si ergo uobis cordi est ualetudo uestra et salus, quā nemo sanæ mētis compos unquā proijciendā censuit, si fiducia uestra, quæ sanè debet esse charissima, si uirtus & honestas, si deniq; pietas, ac salus animarū uestrarum, cogitabitis his omnibus nihil esse infestius ebrietate. Si uerò aliquem hæc tot tā sanctissima nomina nihil mouēt, is ad eorum gregē pertinet, de quibus à me iā dictum est: nec mea oratione mitior fiet: Grauius enim hoc morbi genus est, quàm ut multis Anticyris exhaustis sanari possit. Christus mentes nostras pro sua infinita bonitate gubernet, & ab hac execrabili atq; impia beluandī consuetudine, ad sobrietatem, ad pœnitentiā ac pietatem flectat atq; traducat. Dixi.

ENCOMIUM SUEVORVM, A
Quodam causa exercitationis scriptum
& pronunciatum.



Non dubito, quin pleriq; mirarentur, quid mihi in mentem uenerit, cur Sueuos potissimum, procul ab illorum finibus natus, laudare instituerim: Quibus tamen si hoc respondere poteram, nos in declamationibus non anxie, aut superstitiose argumenta

gumenta eligere solere, sed ferè casu oblati uti. Nonnulli etiam paradoxas materias, ut in re difficili experiantur ingenij uires, sumunt. Tamen ego certo quodam consilio hoc argumentum suscipi tractandum. Etenim cum prauo quodam studio homines, & philautia, nostros nimium amemus, exteros contemnamus, cogitabam me honestè facturum esse, si gentis, quæ hinc procul abest, laudes colligerem, & commouefacerem uos, alienam uirtutem non esse honore, ac prædicatione fraudandam. Nonnulli sunt ingeniosi in alienis uitijis insectandis: quidam etiam ex criminatione aliorum, grauitatis famam aucupantur: Ego liberalis ingenij esse duco, magis, commemoratione uirtutum alienarum delectari. Quanquam enim sua cuiq; genti uitia esse uideamus, tamen nullam nationem, præsertim in Germania, existimo tam esse perditis moribus, ut non multa pulcherrimarum uirtutum exempla ibi reperire possis. Porro ut in priuatis amicitijis ad mutuam beneuolentiam adlendam multum facit, si uirtutes amici noris & admireris, ad uitia conuiueas: ita inter uicinas gentes rectius conueniret, si singule aliarum uirtutes nosse potius studerent, quàm uitia. Hoc ego consilio ad hanc causam accessi, ex qua sanè non tam eloquentiæ laudem, de qua in hac ingenij infirmitate,

Alicna uirtus prædicanda.

Virtutes nosse debemus, non uitia sectari.

z iij firmitate,

firmitate, & quadam mediarum rerum difficultate, iam olim desperavi, quàm officij & humanitatis auferre cupio.

Proinde, quātum nostræ uires sinēt, hāc nationi sine aliarū cōtumelia ornabimus. Neq; enim aut Sueui tā sunt inopes domesticarum laudum, ut nō nisi ex aliarum contumelia colligenda sint prærobia, aut aliæ nationes cōtemni ac probro afficerentur. Nullis Germaniæ populis Franci cedere debent, qui suæ uirtutis uestigia impresserunt in mediam Galliā, et maximis gestis rebus, et quidem ex utilitate publica nomē Gallie nouum indiderunt. Nostris uerò tēporibus doctissimos ea regio homines genuit, in quibus uel obscuram alioqui unum Ioannes à Regio Monte nobilitare posset, uir græcè latineq; non leuiter doctus, & uniuersæ Philosophiæ ita peritus, ut unus restituerit disciplinas, quæ sic uocantur, collapsas, et ab interitu uindicerit. Austriæ quātum debemus, quæ cū alios Principes summa uirtute, tum Maximilianum edidit, nemini optimorum Imperatorum postponendum, qui iuxta domi ac foris cōtinentia singulari fuit, iusticia incredibili, magnitudine animi diuina. Quid Frisia, quia Agricola genuit, quātum laudis meretur? Batauos suos Erasmus quām clare fecit? Sed quid ego aliarū nationū laudes recenseam?

Francia.

Austria.

Frisia.
Bataui.

cum de Sueuis oratio instituta sit. Verū hec idē
 presatus sum, ut intelligeretis me, cum nihil in
 hac causa de amplissimis ornamentis aliarū natio
 nū detrahā, ueris laudibus Sueuiā ornatūrū esse.

Quæso autē uos, ut pro humanitate uestra me be
 nignē audiatis: nā cādor est exteriorū uirtutibus,
 et earum cōmemorationi fauere, quas quidē nos,
 quia inter eruditos dicimus, paulò lōgius etiam in
 de usq; ab antiquitate repetemus. Quāquā autē
 sola uirtus, ueram & solidā laudem parit, tamen
 & antiquitas generis, quia nonnihil momenti ad
 fert ad uirtutis studium, suam laudem meretur.

Fortes (inquit Horatius) creantur fortibus &
 bonis,

Est in iuuenis, est in equis patrūm
 Virtus, nec imbellem feroces

Progenerant aquilæ columbam.

Quare cum ueterum Sueuorum summa uirtus fu
 isse perhibeatur, credibile est ad posteros propaga
 ta esse semina quædam uirtutis: & quemadmodum
 formæ corporum in natis imitātur patres, ita po
 sterorum ingenia nō sepe naturæ maiorum disimi
 lia sunt. Proinde nō exiguā laudem Sueuicæ natio
 nis hanc esse duco, quod à maioribus incredibili
 uirtute, fideq; præditis, quiq; maximis gestis re
 bus sua posteritati præluxerunt, orti sunt.

z iij

Habent

Antiquitas ge
 neris Sueuorū

C. Caesar.

Habent autē ueteres Sueui grauisimum testim
 suarum laudum, C. Caesarem, qui sic describit eos,
 ut adpareat, & domi optimē constitutas Respub.
 domesticamq; disciplinam habuisse, & foris iner
 dibilem eorum fortitudinem, scientiamq; rei mili
 taris praecipuam fuisse. Etenim ut praetermittam,
 quanta gentis frugalitas fuerit, quia uinum imper
 tari contra leges erat, quae exercitationes iuuen
 tutis fuerint in armis, quanto labore durata cor
 pora, & animi ad patientiam aduefacti, tum mi
 hi prorsus uidere quandam Platonis ciuitatem
 uideor, cum lego nihil illis priuati agri fuisse, sed
 sine cupiditate communiter coluisse, quae quicq; lo
 ca occupassent, qua in re adparet, animos gentis
 uacuos auaritia, & similibus bestiis, unde in ci
 uitatibus graues motus existere solent, summa re
 ligatione iusticiam ac pacem coluisse.

Felicitissimus
 ciuitatis status

Plato ait ita felicitissimum ciuitatis statum si
 re, si quam proximē conetur exprimere hanc le
 gem qua de amicis extat, τὸ φιλοπρονία. Quam
 autem mihi Graecā ciuitatem, quas Athenas, quā
 Spartam, aut Locros nominabit aliquis, in qua
 perinde agri communes possessionesq; fuerint, ut
 apud Sueuos, qui nisi admirabili iusticia praediti,
 & magna inter se charitate deuincti fuissent, nul
 lo modo illam rerum cōmunionem exercuissent.

Quae

Quædam gentes à Dijs se ortas esse prædicant, mihi non minor laus uidetur ad tales uiros, quales fuisse ueteres Sueuos intelligitis, uerè posse originem referre, quàm ad Herculem aut Martè.

Non est instituti mei, laudes aliarum in Germania nationum extenuare, tamen hoc in confesso est, nullius maiores monumentis literarum, perinde, ut Sueuos celebratos esse, quod quidem argumentum esse mihi uidetur, uirtute etiam eos reliquis omnibus in Germania nationibus præstitisse. Pleraq; nomine ueteri amissa, ne quidem coniecturam capere possunt, ex quibus orti sint maioribus. Et haud scio, an soli Sueui nomen uetus retinuerint, sed cum ita mutant gentes nomina, si uel patria pulsæ, uel imperio deiectæ, amissa libertate, in aliorum potestatem ueniant, uerisimile est Sueuos, quia nomè retinuerunt, libertatem suã summam cum uirtute defensam, nunquã amisisse. Nã quod sedes mutarunt, & à Balthici maris littore, quod olim tenuerunt, propius Rhenum accesserunt, id accidit, quia laceßiti Romanis armis in ripa Rheni domo accita præsidia primũ collocarunt, postea capti aëris cœliq; elemèta his in locis cõsederunt, & occuparunt eã Germaniæ partè, longè promotis finibus, quæ inter Rhenum, Alpes, Lycum, & Mœnum est, hi sunt Sueuorum fines hoc tempore. Fines.

Virtus quam
cæteris illis
maior.

z v Neq;

Neq; uerò degenerarunt, mutato caelo à pristina uirtute, sed his primum locis magis inclaruerunt, & noua gloria Sueuico nomini accessit.

Nam ne omnia cōmemorem, ne ue historiam potius quàm encomium composuisse uidear, tantum insignia quaedā ornamenta attingam. Quid potius it contingere Sueuis illustrius, quàm Romani Imperij titulus? Nō ille quidem scelere raptus, sicut antea sepe acciderat, sed delatus Germanicè atq; Italiae populorum consensu. Quid potuit honorificentius accidere, quàm hoc tot gentium iudicium, quæ tantam uim uirtutis in hac esse natione senserunt, ut non dubitarint suam salutem, suas fortunas, & tranquillitatem totius Imperij Sueuorum Principum tutela cōmittere? Ea demum uera gloria est, & bono Principi maximè opranda, ut intelligāt, existimētq; homines, eum esse præditum, & ea charitate erga subditos, ut nihil ducat prius, quàm illorum saluti consulere, & ea cum prudentia, tum animi magnitudine, ut defendere conseruareq; pacem, & arcere ac prohibere iniuriam, & legibus ac armis munire tranquillitatem publicam possit. Quos triumphos, quæ trophæa mallent sibi decerni Principes, si saperent, quàm hoc de se iudicium apud bonos uiros fieri.

Proinde, cum periculosissimis temporibus ad

Sueuis

Sueuos Imperij summa delata sit, magnum quidam illi nationi reliquæ gentes tribuerunt. Neq; ^{Fridericus Barossa.} Fridericus, cui uerò nō respōderunt expectationi. Fridericus, cui à Barba Ruffa nomen factum est, & huius nepos Fridericus, quem Siculum uocarunt, quorum ueterq; omni genere Imperatoriarum uirtutum, cuius laudatissimorum Principum cōferri meretur. Ab auo Friderico Germania atq; Italia maximis laboribus & periculis pacatæ sunt. Arma in Asiā postea translata, Suladinus repressus est, & bona Asiæ parte ad Armenias usq; expulsus. Nihil hic libet attollere, aut amplificare, tantum extremis digitis leuiter attingo res istius gestas. Verum uos ipsos cogitare hoc in loco uelim, quantum beneficium id temporis in Europam contulerit, crudelissimis hostibus repressis, & procul ab Italia & Germania summotis.

Nunc uidetis quāto in periculo simus, quia diu ^{Nullus iam si-} neminem similem custodem Imperij huius habui- ^{milis custos Im-} mus. Ille procul in Asia quærendum sibi hostem ^{perii,} esse duxit, sensitq; seruum tum auxilium fore, si pateretur Barbaros in nostros fines suas copias traducere. Nunc cum in ipso uestibulo Germaniæ consisterint seuisimi Turcæ, ac florentissimū Regem, regno exutum, fugientē ex acie, penè ob oculos nostros trucidarint, intelligitis quā optan-

optandum sit Fridericum aliquem exoriri, cuius
 nomen hostibus terrori sit, quiq; opponere inma-
 nissime gēti praesidiū ausit. Si Fridericus ille re-
 uiscat, nō de Hungaria uastāda, nō de uexāda Ger-
 mania iā Barbari cogitarēt, sed de retinēda Thra-
 cia, deq; focis ac laribus suis propugnādis: Siqui
 dē Germanicis copijs iā ut fuit illius & celeritas
 et diligētia, circumfessi summa ui oppugnaretur.
 Nō uacat huius Principis egregia facta cōmemo-
 rare, uerum quia bello meliorē, quā pace fuisse eo-
 liqui putant, ut cognoscatis quāta saueritas eius
 fuerit domi in dicendo iure, in latrocinijs punien-
 dis, et disciplina imperij retinenda, recitabo quā
 grauitē animaduertit in Principē Palatinū, et
 Moguntinum Episcopum, qui bellum ipso absente
 in Italia mouerāt. In Episcopum, quia parcedum
 dignitati Sacerdotum duxit, mitiorē panā confli-
 tuit, tantum enim eum pecunia multauit. Sed in
 Palatinum durius cōsuluit: Nam coēgit eum per
 totā urbem Vuormaciam canē ab humero penden-
 tē gestare, ea fuit illis tēporibus censoria nota no-
 bilitatis. Idē exemplum in plerosq; alios equestris
 ordinis uiros, Palatini socios, cōstitutum est. Nil
 las ego uictorias plus laudis mereri existimo, quā
 huiusmodi exemplum. Nā eum bene imperare pa-
 tes, qui domi ciuilem disciplinam conseruare norit.
 Nihil

In Palatinum
 & Moguntinū
 animaduertio
 grauis.

Censoria nota
 nobilitatis Ca-
 nis.

Nihil foris arma, nihil triumpho proderunt, si do-
mi nimirum liceat improbis. Is demum Imperatoris
nomine dignus est, qui non tantum hostibus formida-
bilis est, sed etiam ciues in officio retinere studebit.

Quid de Friderico Nepote dicam, cuius pul-
cherrima consilia, si non impedissent Romani
Pontifices, non alium habuisset utiliorem Princi-
pem Germania. Ingenium in eo acerrimum fuit,
magna etiam literarum scientia, et ut aliud boni
nihil presterit, magnam illi gratiam debemus,
quod curauit in Latinam linguam conuerti ex
Saraceno sermone τῆς μεγάλου σύνταξις Pto-
lemæi: Nam absque eo libro tota Astronomia fun-
ditus interisset. Itaque Sueuis debemus, quod reli-
qua est illa Philosophiæ pars, quam iure dixeris
prestantissimam esse. Magna laus est inuenisse ar-
tes utiles huic uitæ, sed non minor est, uel restitu-
isse uel conseruasse. Siquidem in primis in literis
hoc accidere uidemus, ut non minus negotij sit
conseruare inuentas, quam inuenire. Videtis qua-
les Imperatores Sueuia nobis ediderit, qui nisi
belli pacisque artes omnes apud illos floruissent,
minimè idonei ad imperandum uisi fuissent.

Etenim ut non in quouis solo fruges nascun-
tur, ita non ubique boni uiri proueniunt. Sed ibi
tantum, ubi bonis legibus ac moribus ad uirtutem
ac decus

Fridericus Nepos.

Disciplina Suae
uicæ textæ.

ac decus inuitatur, et adsuescit iuuentus. Quis puet enim Mileti aut Sibari in summo luxu, inter turpissima exempla, in maxima licentia, fortem uirum, aut temperantem, aut iustum euadere potuisse? Quæ tam excellens natura, quæ tanta ingenij uis in ullo esse potuit, quæ inter tot uitiorum illecebras non corrumpetur? Quare necesse est disciplinam fuisse in Sueuorum ciuitatibus probabilem, qua tanquam in ludo Principes ad honestatem instituti sunt, quaq; adducti exteri iudicarent hanc nationem uirtute ac industria imperij molem sustinere posse. Neq; enim ignoratis, quid imponatur oneris cum isto titulo, aut quantum fidei, quatum consilij, quantum animi robur, quantum moderationem, quantã diligentiam in omni genere flagitent homines ab eo, cui libertatem suam, fortunas, salutem, ac uitam committunt? Sed cum res foris gesta, et leges quibus domi pax stabilita est, quæ quidem hactenus in publicis legitimis codicibus extant, multorum aliorum literis prædicentur, nolui hoc in loco diutius commorari. Propero enim ad nostra tempora, quæ si diligenter considerabitis, uidebitis profecto illos, non solum respondere iam maiorum gloria, sed etiã superiorum decora longè uincere. Effet autem institutum totam Rempub. depingere, et omnia instituta

tuta, legesq; pietatem in colendis religionibus, seueritatem in cohercendis delictis, bellicarum rerum peritiam, animorum magnitudinem, ciuium inter ipsos aequabilitatem, exponere. Quae cū angustia temporis praetermittere cogat, excerpam ex reliquis laudibus unā quandam partem, in qua uidere est, quā bene de tota Germania mereri studeant.

Cum annis iam aliquot nullum satis magnum aut firmū praesidium in Germania esset, aduersus Fœdus Sueuorum publicae pacis tutelam inscipit. subitos tumultus, et quotidiana latrocinia, ciuitates Sueuorū fœdus inter se ritè et Cesare autore fecerunt. Id fœdus diu iam tanquā in statione est, defendendae publicae trāquillitatis gratia. Multos improbos metu cōtinet, quosdam etiā tumultus, armis & bello cōpressit. Quanta autem laus est, unā hanc nationem publicae pacis tutelam suscipere, et salutis omnium causa suas fortunas, suam uitam in discrimen adducere? Sed hoc planè diuinum est, quod cum publico iure imperium sibi in alios uindicare possent, nā hoc ius imperij in terris semper fuit, cogere ad parcendum illos, quos tuis laboribus tegas & serues.

Sueui libertatem omnibus relinquunt, quibusdā Iusticia huius fœderis. etiam bello uictis amissam restituerunt: et cum faciunt infinitos sumptus, laboresq; maximos subeant,

Athenienses.

eant, nulla tamen commoda uicissim, ab his quos defendunt, recipiunt, suis fortunis publicos sumptus tolerāt, ne cuius libertatem minuāt, suo periculo omnium salutē propugnant. Quid honestius, quid moderatius cogitari potest, quam sine cupiditate arma tenere, et alios ita defendere, ut de libertate eorum nihil detrahas? Athenienses accepimus aliquādiu ad hunc modum Græciæ principatum tenuisse, ut cum permetterēt alijs ciuitatibus libertatem, ipsi tamen in excubijs essent, suorum discrimine omnes tuerentur. Ea in re in primis magnam humanitatis, iustitiæ, et temperatiæ exemplum suæ speciem sapientissima ciuitas præbuit, quod sine cuiusquā incōmodo publico pacem custodijt. Cum autem summos honores Athenis, ob eam causam reliqua Græcia decreuerit, sepe enim uictis ex seruatibus corona, postea statim, data Atheniensibus ciuitas, pars agri, societas sacrorum et connubiorum, et hoc genus ornamenta alia: debemus et nos si non ingrati esse uolumus, pulcherrimū beneficium Sueuicæ nationis amplissimis laudibus uehere. Nō satis intelligimus, quantum in pace insit boni, si publicæ tranquillitatis custodibus nullā gratiā habemus: Quoties enim patros uos liberos adspicis, quoties coniugem intueris, toties meminisse te oportuit, illorum incolumitatem

tatem aliqua ex parte te his debere, qui ocium nobis faciunt, cum aliarum honestarum rerum gerendarum, tum alendæ & educandæ sobolis.

Populus Romanus, nō sepe uictis gentibus libertatem seu ἀυτονομίαν cōcessit. Græcis id honoris habuit, post bellum cum Philippo Macedone gestum immunitatē donaret, et ut singulæ ciuitates suis legibus uiuerent, permitteret. Ea de re, cum decretum à Senatu populoq; Romano factum, T. Quintius Imperator in Nemeis, quo ex more ad spectaculum tota Græcia conuenerat, uoce præconum recitari iussisset, audissentq; gratissimū præconium uniuersi, Dij immortales, quantis honoribus adfectus Imperator, quàm gratis sermonibus Romanum nomen celebratum est: Esse unam eam in terris gentem, quæ sua impensa, suo labore ac periculo pro libertate aliorum bellū gerat, detq; operam, ne quod toto orbe terrarum iniustum imperium sit, & ubiq; fas, lex, potentissima sint, ita iudicarunt Græci, non aliud maius beneficium homines hominibus præstare posse, quàm quod accepissent à Romanis. Quid enim certa pace gratius est, præsertim si coniuncta sit cum libertate?

Nō minus igitur laudis in Germania merentur Sueui, qui suo præsidio pacem alijs gentibus sine iactura libertatis earum muniunt, quàm mere-

Aa bantur,

Populus Romanus immunitate donat Græcos.

Quantum laudis & gratiæ mereantur Sueui.

bantur, uel Athenienses, uel populus Romanus
 apud Græcos immunitate donatos: Nā ter a Ma-
 ximiliani morte Germaniam maximis periculis
 magna foelicitate liberauerunt. Fauet enim Deus
 iusta bella pro publica salute gerentibus. Quam
 grata nobis memoria Sueuici foederis esse debet.
 Hoc enim otium, quo frui nobis hactenus licuit, et
 hec studia, quæ omnia nobis de manibus excutun-
 tur, simul atq; aliquis motus bellicum canere coe-
 pit, istorum armis defensa sunt. Quantum autem
 studium rei militaris sit in ea gente, quanta uir-
 tus, quanta scientia gerendi belli, non ignoratis.
 Neq; enim alia natio celebriores duces habet.

Quales sint
 domi,

Porro cum foris Sueui et fortitudine incredibi-
 li, et summa iustitia in defendendis uicinis utantur,
 quid dubitemus quales domi sint? Nisi enim domi
 ciuitates haberent bene moratas, nec sumptus, nec
 milites suppeterent: aut quomodo milites parere
 armati scirent, qui domi parere legibus non debi-
 cissent? aut quomodo tolerare militiæ difficilli-
 mum laborem, et graue Martis opus, ut Vergi-
 lij uerbis utar, si domestico ocio ac luxu effemina-
 ti essent? Habent igitur et ciuitates legibus ac
 iudicij diligenter constitutas, et tranquillitatis
 urbanae tuendæ cura non alibi maior est. Lex est
 enim in Sueuicis urbibus, ut si in rixa aliqui gladi-
 os

Lex de strictis
 gladiis seneca,

diōs strinxerint, ac uel puer, uel muliercula, procul etiam inclamans pacem imperet, capite puniatur, qui audito nomine pacis, insuper ferire audeat. Cū nulla tam seuera lex in reliqua Germania sit, estimari potest, quanta diligentia uulgus Sueuorum coherceatur. Et ad tranquillitatem urbium hoc quoq; facit, quod urbana multitudo minus aliquāto ocij habet, & frugaliior est, quā in uicinis nationibus.

Diuerforia & hospites.

Magnum ibi scelus est, & inusitatum, cōspici ebrium. In diuerforijs magna mundiciēs est, & fides hospitum summa, nec magis domi suæ peregrini, quā apud illos tuti sunt. Quid autem gratius accidere peregrinanti potest, quā talis hospes, ad quem tutum sit diuerti, apud quem securus acquiescat, qui comitate, qui mundicie itineris tædium leniat? Cēs ipsa minimè idonea ad fallendū, in primis gaudet fidē suā peregrinis probari. Sic inter suos etiam uiuunt, nulla diuturna odia sunt, nullæ insidiæ: quanquam enim ingenia sint ferociora, tamen facile placantur, & quia nihil dissimulare didicerunt, insidiari non norunt.

Ingeniorum acrimonia.

Ceterum nō deesse eis ingeniorum acrimoniam, inde adparet, quod celeberrimos, maximeq; strenuos mercatores habent. Neq; desunt ibi, qui & ament et colāt literas: Hæc enim natio Albertum

Albertus.

Aa ij procrea

Capnio.

procreauit, quo ex nostris hominibus nemo uberiorē naturalium rerum cognitionem habuit. Nō nihil uerò laudis intulit eò et Capnio, uersatus in græcis et hebraicis literis difficilimis tēporibus, et cū peregrinarum linguarum studia nōdum in Italia satis florerēt: Accepi enim ita Venetū quēdam Oratorem olim de eo prædicasse. Nam cum apud Cæsarem Fridericum Legatus sui Principis esset Capnio, cūq; Venetæ ciuitatis Oratoribus, qui per id tempus eò uenerant, frequenter esset, accidit aliquando, ut Capnio fortè pulcherrime græcè scriptum Enchiridion noui Testamenti in manibus haberet: Quod cū uidisset Venetus, et animaduertisset, non esse rudem græcarum linguarū Capnionem, conuersus ad suos Collegas, ait: Vide te quæso in Germania, hunc uirum propter cognitionem literarum in admiratione esse, quas nostrī tam pertinaciter cōtemnunt. Et nobilitauit egregijs monumentis Sueuiam Stofferus Mathematicus, cum primis et diligens, et eruditus, cuius quid beneficio quotidie utimur, duxi eius hīc mentionē esse faciendam: Fastos enim multorum annorum cōfecit & digessit, in quibus cōponendis diei non potest, quantum laboris fuerit ei exhauriendum: Est enim immensi negocij, motus syderum exactè supputare. Nulla temporum discrimina, nullas mensuram

Stofferus.

mensum uices nossemus, nisi hunc laborem uir ille optimus sumpisset. Porro simile quiddam peccatum uitæ fuerit, non habere descriptum annum in certa spacia, non arandi, serendi, plantandi, aut aliarum rerum iusta tempora nosse. Habent & artifices ingeniosissimos: hi enim plasticen sculpendi artem, quæ prorsus amissa fuerat, renouarunt.

Sed desino omnia persequi, nam ego non omnes laudes, sed præcipuas Suevicæ gentis recensere uolui. Magnam commendationem habet generis nobilitas, & maiorum uirtus, nam ex bonis uirginatos, uerisimile est, aliquam paternæ uirtutis similitudinem referre. Audistis autem uetustissimos Sueuorum à Cæsare prædicari, & præclarum iudicium postea de Sueuis Germania atq; Italia fecerunt, quando ad eos Imperium detulerunt. Nostris uerò temporibus, nullo modo tenere tantas Respub. tamq; florentes & pacatas possent, nisi omnibus belli ac pacis artibus instructi essent, nusquam in urbibus tranquillitas maior, nusquam minus latrociniorum est, quàm in horum agris. Vicinis adeò nõ sunt graues, ut sepe eos maximis periculis liberauerint, reddantq; procul etiã istis tuta omnia. Domi uerò pax perpetua multarum honestarum artium studia excitauit atq; alit: Quæ cum ita sint, faucamus illorum laudibus,

Aa iij easq;

easq; sine inuidia prædicemus. Nam cum uirtute
 nihil melius aut pulchrius sit in quauis gente, in-
 xta meretur amari. Non enim Vnio minoris est
 precij argento insertus, quàm si in auro gestetur.
 Sed ut superbi atq; inhumani ingenij est, in prius
 ta consuetudine uitæ, se tantum mirari, & ita se
 bi arrogare omnia, nihil ut alijs reliqui faciat,
 ita iniustus est, qui suam gentem sic amat, ut ni-
 hil exteris tribuendum putet. Hoc potius ad ma-
 tuam inter nos charitatē, & beneuolentiam ad-
 lendam faciet, si quæ in unoquoq; fuerint lau-
 de digna, ea candidè miremur, atq; com-
 plectamur. Dixi.

ENCOMIUM FRANCIAE, M.
 Irenæo autore.

NOBILITATE GENERIS,
 Virtute, & Dignitate præstanti, Da-
 nieli Stibaro, M. Irenæus
 S. D.



Vm nuper in patriam uenissē offi-
 cij causa, uirum optimum, cuiq; de-
 mantissimum, Ioachimū Camero-
 riu m comitatus, ad eò amantē a
 exceptu